



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Stupor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

CONCORDIÆ DISCORDIÆQUE EFFECTUS. CAP. XIV.

Huic vero significato subijciemus illud, quod nonnulli Sallustii sententiam, quæ est, Concordia res parvas crescunt, discordia maxima dilabuntur, novo commento pingere, non tamen infelicitate excogitarunt. In illo, Formica in Elephantum crescit opposito caduceo: in hoc Elephantus in Formicam definit, aqua & igni pro rebus maxime contrariis adjectis. Verum ex hujusmodi figmento si caduceum & aquam & ignem summoveas, perfectus etiam intellectus significari potest: quippe, qui minimorum æque ac maximorum cognitionem sit optime confectus, omniumque unam quasi scientiam conjunxerit. Sed enim interpretamentum hoc perinde ac illud arbitrarium esse, non inficior. Sed dicet aliquis, Quorsum Elephantus ad Formicam? Plutarchus porro de Formica multa magnifice locutus, quod animal est omnium minimum, ita de maximo non dissimilia se dicturum profitetur.

STUPOR. CAP. XV.

Atque hic qui mentis tot exhibuit experimenta, quo, vel Cicerone id asserente, a libro de Natu. Philostr. lib. 2. de vita Apoll. ni. Eleph. proximus homini prudentia. Et Tertullianus eum Bestiam vocat infuissimam, etsi aliquam in Divinis literis præ se feratphantanto nil imaginem. Eucherius hominem eum signo hujus dicit indicari, qui magna & enormia scelera perpetravit, citato ad hoc Salomonis loco: Et adducebant ad Salomonem Simias & Elephantos. Et tamen Indici, cum omnium sint ferocissimi, adeo ut difficulter cicurari possint, ad instrumenti Musici

pulsationem cantilenarumque modulationes animum intendunt, auresque ad audiendum arripiunt, atque hinc ita demulcentur, ut nullo alio commento efficacius comprimant ferocitatem. Sane tria Elephantorum genera authores ponunt, palustres, montanos, & campestres; Palustres omnino dementes levesque esse, montanos pravos & insidiosos, campestres mansuescunt facillius, & longe dociliores ajunt, quos nequaquam stupidos existimant illi, qui eos in theatris figurarum notas & mutationes varietatesque callere, multorum testimonio compertum asserunt. Romæ illud accidisse proditum est, cum eorum grex & saltationes, & orbium lubricationes edoceretur, indociliorem fuisse unum, qui cum a magistris increpatus & castigatus esset, noctu visus est ad umbram Lunæ institutionis documenta illa per semetipsum attentare, meditari, & exercere. Verum hæc non ita forte videantur admiranda, quæ fame magistra discere cogantur: illa potius admiremur, quæ faciunt, fieri nullis unquam legibus instituti, prohibitate, prudentia & æquitate, nullis fere animalibus inferiores.

PIETAS. CAP. XVI.

Quid quod sponte sua naturæ quadam sublimate præditi, pietatem colunt, & religionem observant? Nova enim apparente Luna, sponte, ubi jure suo degunt, vivo se flumine purificant: si morbis infestantur, Deorum auxilium implorant, herbas cælum versus jaciunt, earum internuncio eo preces allegante, qui quidem gestus excipiendus est ab



iis,